



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1204. Usque Ad Annum 1230

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1763

VD18 90118030

§. 39. Statuta Scholæ Parisiensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66406)

Sæcul. XIII.

A. C. 1215.

jam navem conscenderat, Romam profecturus, & interfuturus Concilio; hinc inducias petiit, donec ad conspectum Pontificis pervenire potuisset, affirmans, sententiam contra Barones, suppressa veritate, fuisse impetratam, nec posse se eam promulgare, priusquam mentem Pontificis ex ipsius ore percepisset. At Mandatarii, potestate sua usi, Archiepiscopum ab ingressu in Ecclesiam & ab omni munere spirituali suspenderunt; qui humiliter se submittens, ut erat suspensus, Romam petiit. Tunc ergo Episcopus Wintoniensis & Pandolphus omnes Barones, qui Joannem e Regno ejicere tentarent, excommunicationis Censura constrinxerunt. Quia vero in Bulla Pontificis nemo singillatim nominabatur, nullus Baronum hujus sententiæ rationem habuit, nullus pro excommunicato se gessit.

§. XXXIX.

*Statuta Scholæ Parisiensis.**Hist. univ.**to. 3. p. 81.**Launoi. de**var. Arist.*

c. 4.

Cardinalis Legatus, Robertus Cursonius, adhuc Parisiis versabatur, ubi jubente Papa ad reformandas scholas Statuta condidit, hoc exordio: *Nemo Parisiis artes doceat, nisi ad annum ætatis vigesimum primum pervenerit, & ipse annis saltem sex iisdem operam dederit. Quicumque docere postulans exam-*

men subeat secundum formam, in Scripto Sæcul. XIII.
 Domini Petri Episcopi Parisiensis, de A.C. 1215.
 Pace inter Cancellarium & Scholasticos,
 contentam. Pro more autem in Scho-
 lis Libri Aristotelis de Dialectica tam
 antiqua quam nova explicentur. Præ-
 legantur etiam duo Prisciani, aut saltem
 eorum alter. In diebus Festis nihil aliud
 explicetur, quam Libri Philosophorum,
 Rhetorum, Mathematicorum, & Gram-
 maticorum, vel, si voluerint, Libri de
 Moribus, & quartus de Topicis. Libri
 Aristotelis de Metaphysica aut Physica,
 vel eorum compendium, vel quidquam
 de Doctrina Davidis, Dinantii, Amalvi-
 ci Hæretici, aut Mauritii Hispani, non
 legantur.

Et infra de Theologis: Nemo Theo-
 logiam doceat, nisi triginta quinque an-
 norum vir, & nisi prius ad hanc scien-
 tiam annis saltem octo incubuerit. Ne-
 mo Parisiis ad tradendas Lectiones publi-
 cas vel prædicandum recipiatur, nisi
 quoad mores & scientiam approbatus
 fuerit. Nullus pro Scholastico babeatur,
 nisi certum Magistrum auscultet. Hæ
 Constitutiones, in quodam Concilio Pro-
 vinciali concinnatæ, mense Augusto an-
 no millesimo ducentesimo decimo quinto
 datæ sunt.

§. XL.